



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. IV. Qui Deum scit, hoc solo beatus est, nec beator, aut melior, quia alia præter ipsum scit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

rae; pecora denique luxuriis tribuit, quia ut iumentis non est intellectus, ita nec luxuriosis. Hæc ergo peccata, quia Deo non sacrificarunt per poenitentiam Philosophi, ideo evanuerunt.

V S V S.

- I. Quæ Philosophis gentilium fuerunt causæ evanescendi, eadem sunt doctis Christianis. I. *Superbia*, qua de ingenio superbientes, eum religiose non quæsierunt, à quo habebant ingenium. II. *Inanis gloria*, quam captabant, cum viderent alios mirari suam scientiam. III. *Luxuria*, ob quam iusto iudicio permitti sunt *compurescere in stercore errorum & scelerum*. IV. *Ignorantia* mysterii incarnationis & viæ, quam verbum incarnatum, humilitatis & patientiæ exemplo, ad cælum monstravit. V. *Ingratitudo*, non enim gratias egerunt, pro ingenio & doctrina. VI. *Irreligiositas*. cognoscentes enim Deum, non sicut Deum honorarunt, nec sacrificiis, nec precibus, nec aliis piis operibus. Caveant Christiani scientiis inclyti, ne per hæc & similia ipsi quoque evanescant: & super his examen subinde instituant.
2. Apparet fructus veræ Philosophiæ: ex qua Augustinus occasionem sumpsit agnoscendi & explorandi errores Manichæorum. Quæ causa est, cur hæretici studia philosophica tam male oderint: metuunt enim, ne ex eo quod errent in arcanis naturæ, convincantur multo gravius errare in mysteriis gratiæ.

CAP. IV.

Qui Deum scit, hoc solo beatus est, nec beatior, aut melior, quia alia præter ipsum scit.

1. **N**Unquid Domine Deus veritatis, quisquis novit ista, jam placet tibi? Infelix enim homo, qui scit illa omnia, te autem nescit: beatus autem qui te scit,

Rom. 1.
22.

etiam si illa nesciat. Qui vero & te, & illa novit, non propter illa beator, sed propter te solum beatus est, si *cognoscens te, sicut Deum glorificet, & gratias agat, & non evanescat in cogitationibus suis.*

2. Cor. 6.
10.
Iob. 28.
31.

2. Sicut enim melior est, qui novit possidere arborem, & de usu ejus tibi gratias agit, quamvis nesciat vel quot cubitis alta sit, vel quanta latitudine diffusa, quam ille, qui eam metitur, & omnes ramos ejus numerat: & neque possidet eam, neque creatorem ejus novit aut diligit: sic fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum est, quasi *nil habens omnia possidet* inhærendo tibi, cui serviunt omnia: quamvis nec saltem septentrionum gyros noverit, dubitare stultum est, quin utique melior sit, quam mensor cœli, & numerator siderum, & pensor elementorum, & negligens tui, qui *omnia in mensura, & numero, & pondera disposuisti.*

Sap. 18.
21.

V S V S.

1. Cor. 8.
1.

Incitat S. D. doctos ad humilitatem, ne se majores putent indoctis, cum non sint ideo beatores quia doctiores: imo hoc ipso sint miseres, quia *scientia inflat, nisi identidem humilitatis studio reprimatur.*

C A P. V.

Manichæus in suis libris de sideribus & celo falsa docens, Spiritum S. in se personaliter habitantem, doctrina sua autorem incredibili dementia faciebat.

1. **S** Ed tamen quis quærebat Manichæum nescio quem, etiam ista scribere, sine